

« Benedicti vos Domino, qui fecit cœlum et terram. » Si ergo magnos cœli, pusillos autem terræ nomine accipimus : quoniam pusilli crescendo futuri sunt cœlum, et in ipsa spe lacte nutriuntur, sic sunt illi magni cœlum terræ, cum parvulos nutriunt, ut etiam cœlum cœli se esse intelligant, dum cogitant in qua spe parvuli nutriantur. Sed tamen quia jam illi non ab homine, neque per hominem, sed per ipsum Deum carpunt sinceritatem ubertatemque sapientiæ; acceperunt parvulos futuros quidem cœlum, ut cœlum cœli se esse sciant; adhuc tamen terram cui dicant, « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit¹. » Ipsi enim filiis hominum quos fecit cœlum, terram dedit in qua operentur, qui novit terræ providere per cœlum. Maneant igitur cœlum et terra in Deo suo qui fecit ea, et vivant ex eo, confitentes ei et laudantes eum : nam si ex se velint vivere, morientur, sicut scriptum est, « A mortuo quasi qui non sit, perit confessio². » Sed, « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum³. » Clamat enim alio loco tua Scriptura, « Peccator dum venerit in profundum malorum, contemnit⁴. Sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum, ex hoc nunc et usque in sæculum⁵. »

¹ 1 Cor. iii, 6. — ² Eccli. xvii, 26. — ³ Psal. cxiii, 17. — ⁴ Prov. xviii, 3. — ⁵ Psal. cxiii, 18.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXIV.

Sermo ad plebem.

I. « DILEXI, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ¹. » Cantet hoc anima quæ peregrinatur a Domino, cantet hoc ovis illa quæ erraverat, cantet hoc filius ille qui mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est² : cantet hoc anima nostra, fratres et filii charissimi. Erudiamur, et permaneamus, et cum sanctis ista cantemus : « Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ. » Numquid ipsa diligendi causa est, « Quoniam Dominus exaudiet vocem deprecationis meæ? » ac non potius aut ideo diligimus quia exaudivit? aut ideo diligimus ut exaudiat? Quid est ergo, « Dilexi, quoniam exaudiet? » An quia dilectionem spes solet accendere, dilexisse se dixit, quoniam speravit exauditurum Deum vocem deprecationis suæ?

II. Unde autem hoc speravit? « Quoniam inclinavit, » inquit, aurem suam mihi, et in diebus meis invocavi³. » Ergo ideo dilexi, quoniam exaudiet : ideo exaudiet, « Quoniam inclinavit aurem suam mihi. » Sed unde scis, o anima humana, quod inclinavit Deus aurem suam tibi, nisi dicas, Credidi? Manent ergo tria hæc, fides, spes, charitas⁴, Quia credidisti, sperasti : quia sperasti, dilexisti. Jam si quæram unde crediderit anima inclinasse sibi

¹ Psal. cxiv, 1. — ² Luc. xv, 6 et 24. — ³ Psal. cxiv, 2. — ⁴ 1 Cor. xiii, 13.

aurem Deum suum : nonne respondebit, « Quia prior
« dilexit nos, et Filio proprio non pepercit, sed pro no-
» bis omnibus tradidit eum¹? Quomodo enim invocabunt
» in quem non crediderunt? ait doctor Gentium, aut
» quomodo credent, quem non audierunt? Quomodo
» autem audient sine prædicante? aut quomodo prædica-
» bunt, nisi mittantur²? » Cum hæc omnia gesta erga me
cernerem, quomodo non crederem quod inclinavit Do-
minus aurem suam mihi? Et sic commendavit in nobis
dilectionem suam, ut Christus pro impiis moreretur³.
Cum igitur hæc mihi annuntiarent speciosi pedes eorum,
qui annuntiaverunt pacem, qui annuntiaverunt bona⁴,
quia « Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit⁵: »
credidi aurem ejus inclinatam mihi, « Et in diebus meis
» invocavi. »

III. Et qui sunt dies tui, quoniam dixisti, « In diebus
» meis invocavi? » An forte illi quibus venit plenitudo
temporis, et misit Deus Filium suum⁶, qui jam dixerat,
« Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi
» te⁷? » Audisti ex ore prædicatoris venientis, ad te pedi-
bus speciosis, « Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc
dies salutis⁸: » et credidisti, et in diebus tuis invocasti,
et dixisti, « O Domine, erue animam meam⁹. » Sunt qui-
dem ista : sed dies meos magis, inquit, possum dicere dies
miseriæ meæ, dies mortalitatis meæ, dies secundum Adam,
plenos laboris et sudoris, dies secundum vetustatem pu-
tredinis. Ego enim jacens, « Infixus in limo profundi¹⁰: »
et in alio Psalmo exclamavi, « Ecce veteres posuisti dies
» meos¹¹. In his diebus meis invocavi. » Distant quippe dies
mea diebus Domini mei. Dies meos dico, quos ipse mihi feci

¹ Rom. viii, 32. — ² Id. x, 14, 15. — ³ Id. v, 8, 9. — ⁴ Isaï. lii, 7. —
⁵ Joël. ii, 32. — ⁶ Gal. iv, 4. — ⁷ Isaï. xlix, 8. — ⁸ 2 Cor. vi, 2. — ⁹ Psal.
cxiv, 5. — ¹⁰ Id. lxxviii, 3. — ¹¹ Id. xxxviii, 6.

privata audacia, qua deserui eum. Et quoniam ubique
ipse regnat, et est omnipotens atque omnitenens, merui
carcerem : id est, ignorantiae tenebras, et compedes mor-
talitatis accepi. « In his diebus meis invocavi : » quia ego
et alibi clamo, « Educ de carcere animam meam¹. » Et
quoniam in die salutis, quam mihi præstitit, adjuvit me;
intrat in conspectum ejus gemitus compeditorum². In his
enim diebus meis, « Circumdederunt me dolores mortis,
» pericula inferni invenerunt me³: » quæ nisi aberran-
tem abs te non invenirent me. Nunc autem illa me inve-
nerunt : ego vero ea non inveniebam, qui gaudebam pros-
peris sæculi, in quibus plus fallunt pericula inferni.

IV. Sed posteaquam et ego « Tribulationem et dolorem
» inveni, nomen Domini invocavi⁴. » Latebat enim me tri-
bulatio et dolor utilis : tribulatio, de qua dat auxilium,
cui dictum est : « Da nobis auxilium de tribulatione, et
» vana salus hominis⁵. » Ego enim de vana salute homi-
nis gaudendum et exultandum arbitrabar : sed cum
audissem a Domino meo : « Beati lugentes, quoniam ipsi
» consolabuntur⁶, » non expectavi ut prius amitterem
» bona temporalia, quibus male oblectabar, et tunc lu-
gerem : sed attendi in eandem ipsam miseriam meam,
qua talibus oblectabar, quæ et amittere formidarem, et te-
nere non possem : attendi in eam vehementer, et fortiter,
et me non solum excruciarı adversitatibus hujus sæculi,
sed etiam obligari prosperitatibus vidi : atque ita « Tri-
» bulationem et dolorem qui me latebat inveni; et no-
» men Domini invocavi. O Domine, erue animam meam⁷.
» Miser enim ego homo, quis me liberabit de corpore mortis
» hujus, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nos-
» trum⁸? » Dicat igitur sanctus populus Dei, « Tribulationem

¹ Psal. cxli, 8. — ² Id. lxxviii, 11. — ³ Id. cxiv, 3. — ⁴ Ibid. 4. —
⁵ Id. lix, 13. — ⁶ Matth. v, 5. — ⁷ Psal. cxiv, 5. — ⁸ Rom. viii, 24, 25.

» et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi : » et audiant reliquæ gentium, quæ nondum invocant nomen Domini; audiant et quærant, ut inveniant tribulationem et dolorem, et invocent nomen Domini, et salvæ fiant. Non hoc eis dicimus, ut quærant miseriam, quam non habent; sed ut inveniant eam, quam nescientes habent. Neque hoc eis optamus, ut terrena necessaria desint eis, quibus indigent, dum mortaliter vivunt; sed ut hoc plangant, quod amissa satietate cœlesti, terrenis, non ad fruendum stabilibus bonis, sed ad sustentandum necessariis indigere meruerunt. Agnoscant et lugeant istam miseriam: faciet eos beatos lugentes, qui eos esse semper miseros noluit.

V. « Misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur¹. » Misericors, et justus, et miseretur. Misericors primum, quia inclinavit aurem suam mihi: et nesciebam propinquasse aurem Dei mei ori meo, nisi per illos speciosos pedes excitarer, ut invocarem. Quis enim eum invocavit, nisi quem ipse prior vocavit? Hinc ergo primum misericors. Justus autem, quia flagellat: et iterum miseretur, quia recipit. « Flagellat enim omnem filium quem » recipit². » Ne tam mihi amarum debet esse quod flagellat, quam dulce quod recipit. Quomodo enim non flagellet, « Custodiens parvulos Dominus³, » quos grandes quærit hæredes? Quis enim est filius, cui non det disciplinam pater ejus⁴? « Humiliatus sum, et salvum me fecit. » Salvum me fecit, quia humiliatus sum. Non enim pœnalis, sed salutaris dolor est, quem secundo medicus facit.

VI. « Convertere ergo, anima mea, in requiem tuam; » quia Dominus benefecit tibi. » Non meritis, aut viribus tuis; sed « Quoniam Dominus benefecit tibi. Quoniam

¹ Psal. cxiv, 5. — ² Hebr. xii, 6. — ³ Psal. cxiv, 6. — ⁴ Hebr. xii, 7.

» exemit, inquit, animam meam a morte¹. » Mira res est, charissimi, quod cum dixisset in requiem convertendam animam suam, quoniam benefecit ei Dominus; subjecit, « Quoniam exemit animam meam a morte. » Ideo-ne in requiem converteretur, quia exempta est a morte? Nonne magis in morte requies dici solet? Quæ tandem ejus actio est, cujus vita requies, et mors inquietudo est? Talis ergo actio debet esse animæ, quæ tendat ad quietam securitatem, non quæ augeat inquietum laborem. Quoniam exemit eam de morte qui misertus ejus dixit: « Venite ad » me omnes qui laboratis, et ego vos reficiam: tollite » jugum meum super vos, et discite a me, quoniam mitis » sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus » vestris; jugum enim meum suave est. et sarcina mea » levis est². » Mitis itaque et humilis, tanquam viam Christum sequens, debet esse animæ actio tendentis ad requiem: non tamen pigra et desidiosa; ut cursum consummet, sicut scriptum est, « In mansuetudine opera tua perface³. » Etenim, ne mansuetudo ad segnitiam duceretur, adjunctum est, « Opera tua perface. » Neque enim sicut in ista vita somni requies nos reparat ad actionem; sed actio bona perducit ad semper vigilantem quietem.

VII. Ille autem cuncta præstat, cuncta exhibet Deus, de quo hic dicitur, « Quoniam Dominus benefecit mihi, » quoniam exemit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu⁴. » Hæc enim in spe completa erga se cantat, quisquis hujus carnis vinculum intelligit. Vere quippe dictum est, « Humiliatus sum, et » salvum me fecit. » Sed et illud Apostolus verum dicit, « Quoniam spe salvi facti sumus⁵. » Et de morte quidem quod exempti sumus, recte dicitur jam esse completum,

¹ Psal. cxiv, 7, 8. — ² Matth. xi, 28-30. — ³ Eccli. iii, 19. — ⁴ Psal. cxiv, 8. — ⁵ Rom. viii, 24.

ut mortem intelligamus non credentium, de quibus ait, « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos¹: et illud in superiore Psalmo, « Non mortui laudabunt te, Domine, neque » omnes qui descendunt in infernum; sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum². » Ex hac ergo morte potest recte intelligere homo fidelis jam exemptam esse animam suam, eo ipso quod ex infideli fidelis effecta est. Unde ipse Salvator, « Qui credit in me, inquit, transitum » facit a morte ad vitam³. » Cætera vero spe completa sunt in eis, qui nondum ex hac vita emigrarunt. Nunc enim cum lapsus nostros periculosissimos cogitamus, non cessant a lacrymis oculi: tunc autem eximet oculos nostros a lacrymis, quando et pedes a lapsu. Quia tunc nullus erit lapsus ambulantium pedum, quando infirmæ carnis nullum erit lubricum. Nunc vero quamvis firma sit via nostra, quæ Christus est; tamen quia carnem nobis, quam jubemur edomare, substernimus; in ipso prorsus opere quo eam subditam castigamus, non in ea cadere magnum est: non autem in ea labi, quis potest?

VIII. Quapropter quia et in carne sumus, et in carne non sumus: (in carne enim sumus eo vinculo, quod nondum solutum est, « Quod dissolvi et esse cum Christo » multo magis optimum⁴: » non autem sumus in carne ex eo quod spiritus primitias dedimus Deo, si tamen possimus dicere, quia « Conversatio nostra in cœlis est⁵; » et tanquam capite placeamus Deo, pedibus autem tanquam extremis animæ partibus adhuc lubricum sentiamus:) audi quemadmodum ad spem pertineat, quod ita canitur velut jam sit effectum; « Exemit, inquit, oculos » meos a lacrymis, pedes meos a lapsu: » et tamen non ait: Placeo; sed, « Placebo in conspectu Domini, in re-

¹ Math. viii, 22. — ² Psal. cxiii, 17, 18. — ³ Joan. v, 24. — ⁴ Philip. i, 23. — ⁵ Id. iii, 20.

» gione vivorum¹; » Satis ostendens ab ea parte nondum se placere in conspectu Domini, quæ est in regione mortuorum, id est, in carne mortali. « Qui enim in carne » sunt, Deo placere non possunt. » Unde quod sequitur, et dicit idem Apostolus: « Vos autem non estis in carne: » secundum id dicit; « Quod corpus quidem mortuum est » propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam: » secundum quem placebant Domino, quia secundum ipsum in carne non erant. Quis autem placeat Deo vivo, in corpore mortuo? Sed quid ait? « Si autem » spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, » habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter spiritum qui habitat in vobis². » Tunc erimus in regione vivorum, ex omni parte placentes in conspectu Domini, ex nulla ab eo parte peregrini. « Quandiu enim sumus in » corpore, peregrinamur a Domino nostro³: » et in quantum inde peregrinamur, in tantum non sumus in regione vivorum. « Confidimus autem et bene arbitramur magis peregrinari a corpore, et immanere ad Dominum: et ideo » ambimus, sive immanentes, sive peregrinantes, placentes illi esse⁴. » Ambimus quidem nunc, quia expectamus adhuc redemptionem corporis nostri⁵: sed cum absorpta fuerit mors in victoriam, et corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem⁶; tunc nullus erit fletus, quia nullus lapsus; et nullus lapsus, quia nulla corruptio. Et ideo jam non ambiemus placere, sed omnino placebimus in conspectu Domini, in regione vivorum.

¹ Psal. cxiv, 9. — ² Rom. viii, 8-11. — ³ 2 Cor. v, 6. — ⁴ Ibid. 8, 9. — ⁵ Rom. viii, 23. — ⁶ 1 Cor. xv, 53, 54.